

CIRCA EUNDEN ANNUM

# ROGERUS

## ABBAS S. EVURTII AURELIANENSIS

### NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. VIII, col. 1575.)

Rogerus primus regularium abbas quinquennio post electionem reliquias sancti Evurtii invenit, quarum inventionem Freherio abbati Sancti Audoeni significavit litteris apud Martenium. Mendum irrepsit in anno assignato in bulla qua Eugenius III Sancti Evurtii bona confirmat data Rogerio, ubi loco 1114 legendum 1147. Insequenti papae ad exemplum Ludovicus rex Rogerium abbatem diplomate regio dignatus est, in quo Sancti Evurtii possessiones eodem tenore ac in bulla recitat. Subscripsit anno eodem Rogerius chartæ regis ejusdem pro Aurelianensis, biennioque post 1149 litteris Simonis de Balgenciaco pro Burgo-medio. Reperitur in chartulario Miciacensi anno 1150, quo Manasses episcopus chartam dedit postulantibus Rogerio abbatи et fratribus Sancti Evurtii. Obituit ab Adriano IV et Alexandro III bullas ejusdem tenoris ac bulla Eugenii III. Memoratur anno 1158 in chartis Pontilevienibus. Permutando a Ludovico VII obtinuit an. 1163 Toarvillam in parochia de Sebonvilla in Belesia. Invitatus a summo pontifice ad concilium Turonense, Ervisius abbatem Sancti Victoris consuluit 1164. Controversiam habuit cum priore Pontis-monachorum et Stephano Cluniacensi abbatе, quam arbitri direxerunt anno 1167 Manasses episcopus et Joannes decanus. Hoc autem vel sequenti cessit in gratiam Stephani, cuius canonici regularis est epistola 17, ad Rogerium abbatem suum.

### REVELATIO

Quam transmisit dominus Rogerus abbas ecclesiae B. Evurtii Aurelianensis ad monachos Sancti Audoeni Rothomagi de inventione ejusdem sanctissimi pontificis Evurtii.

(Circa an. 1150.)

[MARTEN., *Anecdote.*, I, 413, ex ms. S. Audoeni Rothomagensis.]

Dilectis in Christo dominis et amicis F. (1) ab batti Beati Audoeni, omnię sanctas illi congregatiōni, frater ROGERUS (2) cōnobii Beati Evurtii dictus abbas, totusque pauperum ejusdem loci conventus, salutem et dilectionem.

Quod beatum et gloriosum Patrem et patronum nostrum Evurtium debito venerationis affectu honoratis, nos quidem gratias vobis pro nostra possibilitate agimus: ipse autem pius Dei famulus devotioni vestræ præmia condigna pro sua benignitate impetrabit. Nunc quia de ejus sacratissima inventione nobis congaudetis, modumque ejus, et diem studiose a nobis requiritis, brevitatem congrua paucis accipite. Prædecessores nostri sacerulares can-

A nisi, qui ferme ante hoc quinquennium in sancta beati confessoris ecclesia serviebant, hoc sapienter in proposito suo habuerunt, ut angustum adhuc ædificium ecclesiae dilatarent, qui etiam in hōe rei progressi sunt, ut etiam rogum facerent de cuius calce parietes sacros construerent, quam ipsam calcem apud nos habemus. Repente autem Dei nutu mutaverunt consilium, timentes scilicet ne, si forte sanctum illum thesaurum in agro suo invenirent, ab ecclesia pellerentur, et locus ipse monachis vel regularibus canonicis, qui devotiorem cultum tanto Patri impenderent, traderetur. Cum autem placuit divina misericordia nos famulos suos sub regulari habitu degentes in sancta illa Ecclesia ponere, con-

(1) Freherius qui ab anno circiter 1142 ad 1157 abbatiam Sancti Audoeni administravit.

(2) Quem Sanmarthani anno 1165 primum S. Evurtii abbatem institutum fuisse tradunt, ad quem etiam annum regularis vitæ primordia in monaste-

rio S. Evurtii referunt. Verum Froherius ad quem Rogerius scribit anno 1157 abbatiam dimiserat dignitatem. Imo Sugerius abbas Sancti Dionysii cuius hic fit mentio anno 1151, jam obierat.